



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Iacobi Bidermani E Soc. Iesv Ignativs Sive De Vita Et
Gloria S. Ignatii Loiolæ Soc. Iesv Conditoris Libri Tres**

Bidermann, Jakob

Antuerpiae, 1635

Amor proximi. Cap. IV.

urn:nbn:de:bvb:12-bsb10788217-5

IGNATII *erga proximos amor.*

CAP. IV.

15. **H**VIC virtuti proximus erat **A**MOR erga ceteros mortales, in quibus **D**EV M ille assidue spectabat, & si ijs bono esset, per publicum decurrere nudis pedibus, ludibrijsque onerari, nihil cunctaturum se aiebat. Nec tam obsoletum corporis deformemque componi vestitum posse, quem, quantiuis homuncionis causâ, iniicere sibi recusaret.

16. Parisijs hominem comperæ libidinis, quâ mulierculam deperibat, sic post multa, quæ frustra fuerant, aggressus est corrigere. Quâ transeundum infelici amasio erat, insidias opportunè struit. Locum occupat, vndaque gelidissimæ vadum, vbi collo tenus emersus, aduentorem expectet. Sequitur demum ille, & pessimi consilij certus, transire pontem properat. Hic inasperatò ab vndis vox, & cum voce

ce terror: Iret omnino miser, fœdisque voluptatibus litaret, quando aspernari porrò cœlestium minas constituisset. Se certè pœnas interim à se sumpturum, quas ille commeretur: donec, exorato Numine, imminentem ab eius capite cladem auertisset. Ad hoc ille tonitru continuò hære, planeque iam fulminatum se credere: deinde profusæ charitatis miraculo captus, animum mutare, iterque malè cœptum vltro defistere, & veterem cum Sirene consuetudinem æternum abolere.

17. Quàm quisque plurimis illum maleficijs petijisset, tam maxime beneficijs IGNATIVS se vindicabat. Specimen huius haud vulgare adscribam. Contubernalem Parisijs habebat, cui stipem alicunde sibi suppeditatam, rei que litterariæ necessariam, commendarat, malo quæstori. Is ipse, cum peculio ærarioque omni furtim elapsus, mox Rhotomagi grauter laborare, capitisque discrimen, morbo

carnifice, adire cœperat. Ita desertus, ad IGNATIVUM, cuius inuictum animum pernosset, litteras continuo remittit; rogat, ad se properè, si videatur, inuisat. IGNATIVVS, vt si ab amicissimo inuitaretur, repentè itineri se accingere, & Rhotomagum properare: nullâ neque cibi micâ, neque potus guttulâ refectus, totum triduum hilariter currere, & milliaria octo ac viginti, nudis pedibus, inter preces, pro prædonis sui incolumitate contendere.

18. Alterum hominem haud modico beneficio sibi Lutetiæ familiariter deuinxerat; qui deinde malè redditâ gratiâ, iræ impotens, IGNATIVUM occidere moliebatur. Ei facinori patrando attentus, iamque per ædium scalas irrupens, dum terrificâ voce, *quorsum infelix rueret*, appellatur; plenus formidinis, à nefariâ cæde se abstinet, atque ad pedes illicò abiectus, & facinoris meditati rationes exponere ingressus, benignè ab IGNA-

TIO amiceque accipitur. Verum ea fuit ingrati animi pestis, quam crederes in praesens ideò solùm repressam, vt sapiùs cum illà IGNATIÏ virtus dimicaret. Nam in eâ tempestate, quam ante stabilita Societatis instituta, coortam scripsimus, hic ipse haud leue ad inuidiam nostram momentum attulit, calumnijs & commentis aduersus IGNATIVM grassando. Quamquam idem postea quaestionibus habitis, calumniator compertus, atque à iudice multatus est. Sed retinuit tantam, siue ille de IGNATIO opinionem, vt porrò noua maioraque auderet postulare; siue IGNATIVS in illum charitatem, vt rogatus, eundem inter Socios demum suos cooptaret. Vbi tamen malus hominis animus rursùm erupit; eaque propter à Societate breui post missionem accepit.

19. Hæc amoris exempla ad externos pertinere. Suos multò etiam arctioribus vinculis complexus est.

Documentum fuit primorum Sociorum

ciorum vnus ; qui cūm Parisijs fuisset adlectus, aliquando cœptus est graui mentis æstu agitari , vt proximè suam perniciem abesset. Re cognitâ, IGNATIUS triduum totum impransus & incoenatus, quin omnis etiam potus immemor, flere, Deoque continenter perstitit supplicare; donec hominem periculo exemptum, & quieti pristinae vidit restitutum.

20. Alio item tempore animadvertens Socium immodicâ libertate suetum, sibi que parum esse morigerum, vehementi dolore discruciabatur; secum reputando damnum, quo Socius non dubiè pessum iret. Inijt verò hanc sui vlciscendi rationem, vt prece atque vberè fletu DEVM illi placare impensè niteretur; tum etiam inter Sacra magnis eum gemitibus identidem excusaret; caussatus, eum inscientem, quòd mentis bonæ inops esset, in præceptis ferri.

21. Resciuerat idem, adolescentem de Societate deserendâ consilium

filium cepisse, & causam subodo-
 ratus, quòd de noxijs olim patratis
 confiteri erubesceret, adiit familia-
 riter, suamque illi priorem vitam
 liberè recensere exorsus, narravit,
 quàm inanibus studijs ætatem tra-
 xisset; quasque res, quamque per-
 niciosè amasset. Quà illum narra-
 tione expugnatum cupiebat, vt
 posito rubore, in DEI clementiã
 niti adolescens inciperet. Ceteros
 item singulos curiosã sedulitate
 seruabat. Eorum tenuiores debilio-
 resque fulcire, ærumnosis solatia
 suggerere; si quos pusillo esse ani-
 mo videbat, eos verò surrigere. Ce-
 terum pro ægris præcipuo studio
 excubare: ea propter benè secum
 agi dicebat, quòd valetudine non
 optimã vteretur; tali enim magi-
 sterio doceri se, quemadmodum
 alijs ipse consulere deberet.

22. Vicentiæ quondam è feбри
 languebat IGNATIVS; cùm fortè
 affertur, Simonem Rodericum in
 Bassanis extremè decūbere, mor-
 boque capitali attineri. IGNA-
 TIVS

TIVS illicò sui oblitus, surgit Socium inuisere; emensus diei iter, tantâ cum alacritate, vt ægrum comitem P. Faber vegetus valens-que agrè consequeretur.

23. In illo prætereà itinere, quod cum P. Iacobo Laine fecerat, comitem maximis doloribus oppressum per quàm anxie fouebat. Nam pecuniâ primùm, quantulam in stipe vterque acceperant, iumentum ei conduxit: ac deinde vehenti, & paupere tuniculâ inuoluto, antambulonem se dedit, mirè hilarem, itaque celerem, vt, Lainesio teste, currentem, equus etiam ipse difficulter æquaret. Longè tamen eum vidimus acriorem in Sociorum nomine tuendo, inque animi bonis procurandis.

24. Tum deinde, si quos etiam error fortuitus, aut aliud quid humanum transuersos egisset, cum primùm eos pœnitundine duci, & factum corrigere velle sentiebat, continuò omnem delicti memoriam sepelijt, vt si nihil in ijs vniquam

quam aduertisset. Quo fiebat, ut
 suauissimis affectibus Socios sibi
 omnes delinitos, ad quoduis im-
 perium nutumque alacres habe-
 ret, atque ad perfectionis ardua
 promptos facilesque duceret.

IGNATII *prudencia*. CAP. V.

25. **V**ERVM non ita tamen co-
 mem se suis præbebat,
 quin, vsu interim poscente, seue-
 rus esse auderet. Artificio enim
 mirabili, ad cuiusque captum aut
 indolem suauior modò, modò ve-
 hementior apparebat: illud mode-
 stis, hoc contumacibus opportu-
 num ratus; cum neutris tamen
 non amanter paterneque agebat.
 Etsi autem in primis Socios om-
 nes sibi optabat tales, quos in v-
 trumque liberos iuxtà pronosque
 haberet: dabat tamen operam, ut
 explorato cuiusque ingenio, id
 alijs alijsque imperaret, quò spon-
 te animi propemodum fereban-
 tur; gnarus id omne difficile factu
 esse, quidquid reluctantibus ani-
 mis